

aut nimium jejunium, quia sicut jejunium uni nocet et alterum juvat, ita etiam flagellum. Et propterea B. Benedictus distinguendo dixit, cum dixit *aut nimis jejuniis aut acris verberibus coerceantur, ut sanentur*. In arbitrio abbatis constituit, quatenus ille cognoscat personam; si ei proficit flagellum, adhibeat ei flagellum, si vero cognoverit, non proficere ei flagellum, adhibeat ei jejunium, eo quod multi sunt, qui per flagellum pejores fiunt. In hoc enim loco, ubi dicit *nimis jejuniis*, varie intelligitur. Sunt enim multi, qui *nimium jejunium* intelligunt mediam libram panis solummodo et unum staupponem aquae in hieme, in aestivo vero tempore duos. Et sunt iterum alii, qui intelligunt quartam partem librae panis et aquam sicut superiores. Sed isti, qui quartam partem librae panis dicunt, non bene discernunt.¹⁾ - Et hoc intuendum est, quia sunt aliae regulae, quae habent: *nimis affligantur jejuniis*. Istud *nimis* adverbium est. Et sunt iterum multae, quae habent *nimis*, et istud *nimis* nomen est. Sed sive per nomen sive etiam adverbialiter habeant, nil nocet. - Videndum est etiam iterum, qua ratione nominatim duas aetates, i. e. infantiam et adolescentiam expressit? Ideo illas duas specialiter nominavit, eo quod istae duae aetates procliviores sunt ad negligentiam faciendam quam ceterae aliae.

Cap. XXXI.

DE CELLARARIO MONASTERII, QUALIS SIT.

Cellarius monasterii eligatur de congregatione sapiens, maturis moribus, sobrius, non multum edax, non elatus, non turbulentus, non injuriosus, non tardus, non prodigus, sed timens Deum, qui omni congregationi sit sicut pater. Egre-

¹⁾ Mabillonius in Annalibus (tom. II. p. 434 ad ann. 817) dicit, in Hildemari commentario ad cap. XXX. s. regulae hunc locum esse: *libra viginti duos solidos habet, quando crudus est panis, ut cum coctus fuerit, habeat solummodo viginti*. At jam in Martenii commentario (cap. XXXIX. p. 522. ad marg.) istum locum non inveniri in codice S. Benigni Divion. asseritur, qui idem locus etiam in codicibus in Germania extantibus deest.